



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXI. Ioannis Papae VIII. Ad Athanasivm Episcopvm Neapolitanvm.
Commendat eius erga se obseruantiam. de suo incolumi reditu certiozem
ipsum facit. hortatur ad perseuerantiam, donec simul ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

strorum ea, quæ necessaria sunt nobis, instantissime peragatis; quia nostri apostolatus vlnis extensis alacriter amplecti regalem præsentiam vestræ desideramus. Tertio Nonas Aprilis, indictione XII.

EPISTOLA CLXI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Commendat eius erga se obseruantiam. de suo incolumi reditu certiozem ipsum facit. hortatur ad perseuerantiam, donec simul conueniant.

Reuerendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitano.

QVIA non solum tuis præcipue actibus, quibus deuotionem sanctitatis tuæ circa nos fidelissimam ostenditi existere; verum etiam nobis longe pro ecclesiæ statu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conseruaueris, fidelium nostrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas tuæ dilectioni referimus grates, innotescentes sane nostri præfulatus reuersionem iuxta desiderium tuum esse, Deo fauente, prosperam, atque incolumem. Ideo more apostolicæ paternitatis almitatem tuam moneamus, cum Apostolo dicentes: *Confortare in Domino, & in potentia virtutis eius: quoniam fidelis est Deus, qui non deseret sperantes in se tentari supra quam possunt, sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.* Tua igitur reuerentia in his instantis aduersitatis casibus aliquatenus non frangatur: quin potius in Deo confidens roborata consistat, donec, Christo adiuuante, nos vobiscum speciali præsentia iuncti simul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ necessario statuenda sunt communi eloquio, atque consensu pertractata prouenire credimus in salutem. Tamen nostræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum, communemque fidelem, tuæ dilectioni innotescendum mandauimus, quoniam te quasi proprium filium diligentes in omnibus nostris volumus habere consortem. Data vt supra.

Ephes. 6.

1. Cor. 10.